æqui-differentes, quum eorum ſinus ſeu quantitates ſint proportionales (prout ex def. Logarithmi, & utriuſque motus patet, & in conſtructione logarithmorum amplius aliquando patebit.) proportionalium ergo quantitatum æqui-differentes ſunt Logarithmi.

Propoſ. 2. *Ex trium proportionalium Logarithmis, duplum ſecundi ſeu medii minutum primo, æquatur tertio.*

Quum, per prop. 1. differentia logarithmorum primi & ſecundi æquetur differentiæ logarithmorum ſecundi & tertii, id eſt, ſecũdus minutus primo æquetur tertio minus ſecundo: Ideo addito ſecundo ad utrumque æquationis latus proveniet bis ſecundus ſeu duplum ſecundi minutum primo æquale tertio, quod erat probandum.

Propoſ. 3. *Ex trium proportionalium logarithmis, duplum ſecundi ſeu medii æquatur aggregato extremorum.*

Ex præcedente prop. 2. duplum ſecundi minutum primo æquatur tertio. Vtrique æqualium laterum adde primum, & exurget duplũ ſecundi æquale primo & tertio, id eſt, aggregato extremorum, quod erat demonſtrandum.

Propoſ. 4. *Ex quatuor proportionalium logarithmis, aggregatum ſecundi & tertii minutum primo æquatur quarto.*

Quum per 1. prop. ex quatuor proportionalium logarithmis, ſecundus minutus primo, æquetur quarto minus tertio, utrique æqualitatis lateri, adde tertium, & fient ſecundus & tertius minuti primo æquales quarto, quod erat propoſitum.

Propoſ. 5. *Ex quatuor proportionalium logarithmis aggregatum mediorum (ſecundi, ſcilicet, & tertii) æquatur aggregato extremorum, primi videlicet, & quarti.*

Per prop. 4. præcedentem, ſecundus & tertius minuti primo erant æquales quarto: utrique æqualitatis lateri adde primum, & fiet ſecundus, plus tertio æqualis quarto, plus primo, quod demonſtrandum erat.

Propoſ. 6. *Ex quatuor continuè proportionalium logarithmis triplum alterutrius mediorum æquatur aggregato extremi remoti, & dupli vicini.*

Per ſecundam prop. duplum ſecundi ſeu medii minutum primo eſt æquale tertio: & per tertiam prop. duplum hujus, quod eſt, quadruplum ſecundi minutum duplo primi, æquabitur aggregato ſuorum extremorum, videlicet quarto plus ſecundo. Iam ſi ab utroque æqualitatis latere ſubduxeris ſecundum, fiet triplum ſecundi minutum duplo primi æquale quarto. hujus rurſus æqualitatis lateribus adde duplum primi, & exurget triplum ſecundi æquale quarto plus primi duplo: quod probandum ſuſcepimus.

Admonitio.

HVc uſque logarithmorum geneſin & ſymptomata explicavimus: quo verò calculo, quave logiſticæ methodo habeantur, hoc loco explicandum foret. Sed quia ipſum canonem integrum, ejuſque logarithmos omnes cum ſuis ſinibus ad ſingulas quadrantis minutias primas exhibemus, ideo in tempus magis idoneum doctrinam conſtructionis logarithmorum tranſilientes, ad eorum uſum properamus, ut prælibatis prius uſu, & rei utilitate, cętera aut magis placeant poſthac edenda, aut minus ſaltem diſpliceant ſilentio ſepulta. Præſtolor enim eruditorum de his judicium & cenſuram, priuſquam cætera in lucem temerè prolata lividorum detrectationi exponantur.

CAP. III.

Deſcriptionem complectens tabulæ logarithmorum, & ſeptem ejus columnarum.

Sectio. 1. *PRima columna eſt expreſſè arcuum ab 0. in 45. Gra. creſcentium: & ſubintelligitur eſſe etiam ſuorum ad ſemicirculum reliquorum.*

Sectio. 2. *Septima autem columna eſt arcuum à quadrante in 45. gradum decreſcentium: & ſubintelligitur eſſe etiam ſuorum ad ſemicirculum reliquorum.*

Sectio. 3. *Vnde alterius columnæ arcus, ſunt arcuum alterius è regione reſpondentium complementa.*